

\*

# COMITIA HONORUM

Et Aviti Splendoris

*PALATINAS ad ÆDES*

*Post peractos fortunatâ Coronide in Corde Regni  
ad Lechici Orbis tranquillitatē Pacificationis Convēt9*

*Sub Triumphalem Ingressûs Pompam*

*Illustrissimi ac Excellentissimi Domini D.*

## JOANNIS LUDOVICI

de Brœl

# PLATER

## PALATINI LIVONIÆ

Inter publicos sui Ducatûs Plausus

Totiusq; Palæmonij Orbis Festiva Gaudia

# CELEBRATA.

*à Devinētissima PLATERIANO*

*Nomini & Honori Residentia Dūnebur-*

*gensis Soc: JESU Panegyrico applausu*

# PROMULGATA.

Anno Domini 1736.

VILNÆ Typis Universitatis Societ: JESU

In Proavita Decora  
**ILLUSTRISSIMÆ DOMUS  
PLATERIANÆ**



Æthereos Apices ardenti adamante recufos  
Vertice celfa ferit *PLATERIANA* Domus,  
Adquem difficilis trabeato ne fit Honori  
Ascenfus, fternunt Cedrina *TIGNA* gradus.



P-18-f-286

2°-830



# DEDICATIO



*Avete Dij Penates Palatinarum Aedium, ad Comitia Honorum venimus à corde Legati, Patrio adauctum Senatui, novum in Senatoria Curuli adoraturi Honorium, quẽ trabeatis sublimẽ Honoribus in Te nobis exhibes adorandum: ILLUSTRISIME PALATINE. Quid de Te præsens collecta in unũ Dignitatũ sentiat frequẽtia,*

Quid de Tanto Capite lectissima hæc  
suo in Concilio meditetur Universitas, am-  
pliori Panegyrica circumductione evolve-  
tur. Nobis interim ad publicum primo-  
rum fascium, & fastigiorum congressum,  
haud licet sub liberò Jove perorare libe-  
rius, ne reprehendente temeritatis consci-  
entiâ, aut anser inter Olores audiamus,  
aut Sylvicolæ similiore Marsiæ, cantu  
inter Apollines certare videamur. Verum  
ubi nefas tenuë, imò vix balbutientë Sva-  
dam disertiorë apparere, spectatricë sal-  
tem liceat attollere palpebram, & atto-  
nitâ Oculorum acie præsentem metiri  
Majestatem, ut secuturis relegendum æ-  
tatibus memori stylo valeat inarare pen-  
na, quid ad PALATINAS ÆDES in  
tanto Honorum, an Deorum Conven-  
tu actum, spectatumq; fuerit. Spectato-  
res proinde magis erimus, quam Orato-  
res Fortunæ & Honoris, de Te non  
fucata Encomia potius relaturo, quam  
humilem sterilis Ingenij partum in lucem  
daturi. Non ignoramus nihilominus ve-

re ominoso præsensu, quid de Palatino  
Nomine, quid de Tua Senatoria Chla-  
myde tacito sensu singuli volvant Hono-  
res, qui Te singulis supparem, imò Ma-  
jorem Patrio Orbi pridem comprobâsti.  
Nullum adeò amplum censemus Lati-  
clavium, quod Tuis adornandis meritis  
nimis Latum videatur. Nullam usque  
adeò sublimem reputamus Curulem, quæ  
Tuorum Rectefactorum sublimitate non  
inferior habeatur. Quidquid demum  
preciosioris in Fortunæ reperitur æra-  
rio, prædite Honorum Gazophylacio,  
nimis illud est exiguum Tuis beneme-  
ritis in stipendium. Quâ dignum Te  
laude ferant, quovè munere sublimar-  
dum censeant? ipsa Honorum concludant  
Comitia, ad quorum fidem, & Autho-  
ritatem, supremam Potentiam & æqui-  
tatem appellamus. Verùm rapit Ocu-  
lum, advocatq; mentem PALATINÆ  
Majestas Gloriæ quam auspiciatissimum  
Tuum sub ingressum, Universæ Livo-

niæ, ejusque Metropoli, amœnitatis in  
objectum exhibuisti. Adest triumphali  
pompæ Benefico Nomini semper vecti-  
galis cum debito gratitudinis plausu mi-  
nima JESU Societas, quæ sub Tuis  
Senatorijs Fascibus, & Cœli imperijs,  
& Maximi MECÆNATIS militabit  
obsequijs, quam gratioso favore, Patriam  
amore, Domum Palatinam Honore,  
longæva incolumitate quàm diutissimè  
prospera, fortunatus.

Ita precatur

**PALATINO NOMINI & HONORI**

*Obligatissima*

Residentia Dûneburgensis  
Societ: JESU.



# PANEGYRICUS



Onvolate antesignanæSarma-  
tûm Aquilæ, Aquilonias assu-  
mito pēnas *PALÆMONIÆ*  
Bellerophon, Vos subsequo  
volatu, non prodromo nisu  
Palladius provocat Ales ad  
*Comitia Honorû ILLUSTRIS-*  
*SIMI PALATINI.* Stetistis non ita pridem  
fortunato passu in Corde Regni pennatis Pa-  
triæ impulsi amoribus Lechici Statoris; hodie  
*PALATINÆ* Inaugurationis allecti Gloriâ, in  
Ducali Meditullio felicem reassumite Stationem.  
Prosperum arripite iter, utriusquè Gentis Or-  
dines, ubi repetitis vicibus, post Generales Pa-  
B2 cifi-

cificationis Conventus, Honorum innovantur  
Comitia: Ut ita Vestros comitati tractus, Tul-  
liani Cætus pedissequam teneant Fortunam. An-  
tecedaneas Ducatûs Pompas, numerosos Nobi-  
litis Decuriatus, æmulo gradu, antevertere  
Oratoria non præsumit Svada, ne minùs pla-  
nis insistendo vestigijs, satis nocivas incurrat  
moras. Tritâ utiquè gradiendo semitâ, expe-  
ditiùs nativa collium fastigia, vix fessis adeun-  
da oculis juga, tumidosq; clivos etiam testu-  
dinei tranfultant reptatus, quàm invio saltu  
*Viam Solis* percurreunt sublimes Ieari volatus;  
aut *Viam Aquilæ* temerarij regulatorum impetus.  
Fortunatam ampliabit viam Palladis calcaneo,  
longo Ordine diffusa gestientium populorum  
frequentia: quæ dum lassatis penè fortunæ ro-  
tis, Palatinam provehit Gloriam, reliquam eti-  
am Honorum convocat Orchestram. Nescit  
enimverò solitario passu incedere Honor; &  
uti noctilucam Deliam simultaneo splendore  
tota Astrorum insequitur Respublica, Ætherios  
peragrando campos, sic unus tractim confluit  
Honor, quò alter tutissimam præmisit Appiam.  
Triumphales currus, plausuquè simul, fremitu-  
què calentes Quadrijugos citatis passibus non  
prævolamus: Satis habituri primatûs, si in suc-  
cedaneos admittamur comites, quò Conscripti  
Equitum Ordines inflectunt gradum. Prope-  
ratus siquidem tutè nunquam consulere novit  
præ-



præcessus, suoq; deperit æstu, dum alacres cursus fastu fatigat. Si Panegyricas assumimus pennas, & scriptile folium leves tenuatur in alas, non Præcursores ad Portam Latinam Magni JOANNIS agimus, ast humi reptantem, altius eluctari compellimus Svadam: Ut ita non-nihil evecta, profundiori cultui Palatini Honoris, impetum addat. Ergo præduce Ducatus Pompâ Procerumq; Senatu Comitiorum ingredimur Campum, quem Palatinæ explicant AEDES Orbi ad spectaculum, novum ad apparatus præterlabenti apparentiarum Sæculo. AUGUSTOS inimus Calles, quibus Arcadio præcessere passu Magni Majorum Ajaces; præstò adest semita, quâ Æmilij, quâ Metelli, quâ fortes ivère Camilli. Inter viarum procinctus magna vestigia tenemus, quæ præviè formârunt Gradivi in Lechico veterani Hæmo: cum sicuti à Delo Phæbus, è Creta nonnisi Jupiter prodit, ita quoq; PLATERIANA de stirpe solos provenire Achilles, & Magnos ALEXANDROS, stupente usquè adeò Orbe generari conspiciamus. Et quando quidem emenso jam tramite PALATINI Augustalis, Atria tota patent: cautiùs præ reverentia liceat attollere vultus, ne Domesticus Titulorum splendor vindice radio feriat obtutus, qui vel Aquilarum avidas lucis percelleret pupillas. Habet quod hic videat Sol dexter, Luna sinister, Mundi Oculus; quavis Stelligera Cosrois Uranopoli, gemmeisq;

C

Ne.

Neronum tholis, pulchrius affurgit par Domus  
Olympo: in qua plura titulorum tralucet Pha-  
nomena, quam per Astrolabij cristalla liquit Eu-  
clidi dispersa firmamenti colligere Sidera. Ter-  
restri hocce in Cælo plura Martis Sidera, &  
Paci affines Planetæ alternos geminant ortus,  
quibus apricos Patriæ reaccendant dies, & ho-  
stili Polo fatorum invehant cimmerias. Æthe-  
reis pro facibus Syncletici refulgent fascès, non  
nubilum Gloriæ sudum intensuri. Non va-  
luit tantis ditioris Gazæ superbire Cimmelijs,  
tot Deorum Statuis redimita Memphis: ne-  
gârunt Superi etiam Latij Pantheo tam illu-  
stribus ardere Aulæis, quantis **PLATERIANA**  
radiat Domus, an Semideorum Basilicum Pala-  
tium. Patent adyta æmulo Phanetis serenata  
radio, quorum genuinæ claritudini nec Car-  
tesiana unquam contradixere ingenia. Ad in-  
vidiam Rhodij Colossi, grandes Familiarum ra-  
diant bases, an sublustres Patrij Poli Cardines  
centenis Honorum distincti Insignibus. Huc  
nempe concentrata subsistunt *Illustrissimarum Pro-  
sapiarum decora*, huc contulere jubar per exti-  
mas Poloniæ oras divisa Aboriginum Lumi-  
na. Si ubi? in Trabeata **PLATERORUM**  
Domo Orbis inspiciat Palatinas Curules, Ca-  
stellanos fascès, Mareschalcales Scipiones,  
Ducum Clavas, Antistitum Tyaras, Polycratis  
gemmâ feliciores Abbatum annulos: & adaman-  
tino

tino Lisippi Stylo inscribat: *Palatinum Ostium  
Basilica, quam Magnum Terrarum Numen HO-  
NOR inhabitat.* Provocat Orbis aspectum ani-  
mosq; spectaculo rapit Magna Domus à Ma-  
joribus, par maximis à virtutum Clenodijs, as-  
symbola Polo ab Electorum S. R. I. Comitum,  
Marchionum Paludata Majestate; **CELSISSI-  
MA** à Vestphaliæ **PRINCIPUM**, utpote A-  
boriginum suorum Mitris. Totq; sidera colle-  
git, ceras conjunxit ceris, ut nec Archimedis  
radius delineare singula tangeret. Plures Dy-  
nastarum Purpuræ **PLATERIANO** sanguine  
tinctæ, quàm Hermus diaphana Pyropi fundit  
decora, aut Dives obryzo Pactolus Neptuni tri-  
dente excitat Auriflammæ. Quid si adhuc  
Majorum urnas, Antenatorum Mausolæa vel  
in Cleantheis obiremus lucernis? non levidentes  
certè, aut opacos sepulchrale saxum excitaret  
ignes, quibus & Avitus Splendor intenderetur,  
& clariùs Orbi innotescerent Domini Domûs.  
**PALATINUS** deniquè murex Tyrio ruberet  
pulchriùs Ostro, si hic ad calami umbras Sanguis  
Avorum Purpuram pingeret. Verùm satis jam  
datum oculis! tantis ab objectis satis amænè  
recreati obtutus: nec convenit diutiùs erectos  
intendere vultus: Magnorum namq; Nomi-  
num ut Numinum penetralia prociديو vertice  
coli merentur, non curiosè elatis lustrari super-  
cilijs. Nunc aures arrigite **PALATINÆ** con-  
templatores Majestatis, Comitiorum serâ au-

scultaturi. Martio hactenus aſvetas claſſico,  
Bellorumq; rugitu fatigatas aures, Pacis mulce-  
bunt tractatus. Eòsq; enimverò gelida ſub  
Arcto Patria exæſtuabant deſideria, PALATI-  
NUM Nomen Numinum Lechici Senatûs ad-  
ſcribi Syllabo. Arcana bella movebat Duca-  
lis Nobilitas, acriùs certabat Votis Livonia PA-  
LATINAM ad Curulem ſuum invitando Hono-  
rium, quàm Græcia vindice ferro proprium ven-  
dicando Vatem. Nec citiùs Cordium certami-  
ni Calpen & Abylam figere decrevère, prius-  
quàm ad *Characteriſtica Illuſtriſſimæ Proſapia*  
TIGNA Patricij Faſces terminales locarent co-  
lumnas. Hucusq; Belliſſimâ Pace moderatæ li-  
tes, conſorſquè discordia etiam PALATINAM  
exasperabat Virtutem, quòd nondum illud Ca-  
put publicis exporrectum negotijs; illam men-  
tem auguſtum Scientiarum Capitolium ſu-  
premæ laudum redimiverint tæniæ: Illas ma-  
nus Gratiarum repletas Hyacinthis, Gratioſo-  
què fluxu fluvios ſuperantes Iberos Procan-  
cellariæ non adornaverint gemmæ: etſi illas in  
Crodneſibus Comitijs ultro Mareſchalcales  
depoſcebant Scipiones. Pridem promeruit Gra-  
divo Sacrata dextera hoſtili Anthæo formida-  
bilem Herculis Clavam: Quam cum ætatis flo-  
re ſemper ſpondebat celfi nitor igneus oris.  
Pridem lacerti Bellonæ vegetati ſpiritu, dignè  
præſtolabantur Purpuras Quiritûm, quas à Lu-  
cinæ incunabulis Herous paraverat Sangvis, ma-  
tura

tura Laticlavijs in Prætexta præsignaverat Indoles. Universæ demum PALÆMONIÆ hoc unicum inquietabat præcordia Votum, ut PALATINA Virtus prima Lechiæ occuparet subsellia. Et quem unum quasi geminabant multiplicabantq; innumera Claregestorum Decora, plures etiam è vestigio coronarent adoroæ, diversa distingverent Insignia. Semper utiq; summus honor virtutis *fecialem* agit; iisdemquè vegetatur cunis probitas & Fortuna, ut suis evolutæ Fascijs, associato passu pariquè saltu primatialia petant Fastigia. Per Titulorum gradus celsiùs astris attolli merentur, quos Cœlis conterminavehit Virtus. Hodie tandem post Cordium sine Sangvine Luctas, post irrequietos animorum Tumultus, Pax optima rerum omnium coronat vota, ubi non Peregrino Passu PALATINA subintrat Ostia lauris Palmisque Coronata, à tot retroactis Sæculis inquilinus Honor. Redit iterum iterumq; satis sibi familiarium incolam Larium, gratiùs proculdubio ad Illustrissimos perennaturus Penates, quàm si Capitolinos inter Joves hospitem nonnihil ageret. Aliorum limina ictum sæculi transcendens fulgur, aut erraticas imitati stellas inhabitant honores: *intra* sphæram PALATINÆ Domûs fixa semper haberi sidera exoptant, ne rapido Fortunæ jactati rotatu, aliena cogantur inhabitare vestibula. Imò jam ipsa Fortunæ orbita in Platonium abiit Quadrum, stabilis abhinc futura *Cu-*

*stos Palatij.* Nec alius occurrebat modus Com-  
munes præcordiorum componendi motus, pal-  
maria dirimendi litigia, quàm ut ferro exstru-  
ctam nutritiam Heroum Domum iteratò Sena-  
torix adornarent Secures. Tandem pacatis Du-  
catûs desiderijs, sedatis suspirijs, vix ad notas  
sibi ædes PALATINUS Honor fecuræ ante-  
ambulo Glorix primos arripit gradus, certatim  
reliqua Senatûs Primiceria gressu luctantur eo-  
dem. • Novus Comitia concutit rumor, mille-  
ni confurgunt Tituli, Magno PLATERORUM  
militaturi Nomini, opulentas Trabearum com-  
portaturi Manubias. Pulchra bellorum exæstu-  
at facies, inter Quirinales fasces, centuriatis ag-  
minibus tumultuantur Curules: quisq; Hono-  
rum gestit tanto gloriari Honorio. Longo  
Diastemate in aciem feruntur fasces, Tituliquè  
Senatûs, his solis allecti triumphis, ut PALA-  
TINÆ Domuj Purpuræ vel Sangvinem fundant,  
vel gloriosius in spolia cedant, quàm captiva  
qvondam hæsit Fortuna aureis Timothei irre-  
tita cassibus. Verùm supplex ad LIVONIÆ Vo-  
tum, Pace composuit Honorum litigia *Serenissi-  
mus Lechiæ Regnator*, summusq; Dignitatum Arbi-  
ter; & Augusto accedente Imperio jussit victricem  
porrigere herbã, Palmasq; cedere PALATINÆ  
Glorix. Nec mirère tanta Jurgia HONORUM  
MAGNE QUIRINE, acuis dissidia grandium  
æmulatione virtutum; & dum nulla meritorum  
discrimina ponis, omnem mereris occupare For-  
tunam

tunam, uno saltu quosq; Dignitatum conscen-  
dere gradus. Non pauci votis fatigant, altis pro-  
vocant suspirijs augem Gloriæ, sed nec umbras  
Honorum captare merentur: Te minimè  
rogati centuriati cingunt Honores. Multi  
non proletarijs præmiant gazis Nominis sui En-  
comiastas, quibus prima facultas de Nano En-  
ecladum fingere, ex atomis formare Olympum,  
ut eò augustiores in publica Orbis facie inter  
fasces appareant. Avidâ percurrunt acie, digi-  
tisq; Magistris Encomiorum volumina vol-  
vunt, quæ minùs candida edidère ingenia: Sed  
non uni obfuit Nominum grandes inspicere fas-  
tos, si nihil faustum composuère mores. Non  
uni ex sanguis paginae pallor ruborem incussit,  
quoties vastis syntagmatum folijs monogram-  
ma Virtus argumenta suppeditavit; aut stylum  
movit culparum notata vita veterno. Plurimas  
inter ÆDES plus quàm Stentoreo ore Vox San-  
guinis alti inclamat Titulos: Tuos ultrò invo-  
lant. Alibi sparsim divisi visuntur Honores;  
hiè pulchro conventu Comitia celebrant. Ar-  
ctari attamen non cogentur PALATINOS in-  
ter Lares ad Comitia vocati Honores. Ilij va-  
stitatem, centenasq; Thebarum portas magni-  
tudine vincit hæc unica Domus grandior Or-  
be, Marte potens, excelsa Viris, Heroibus am-  
pla. Cujus lineam adamantinus pœnè sangui-  
nis nexus Gallicano pulchriùs vinculo, quater-  
nis terrarum colligavit partibus. Nec valuère  
primæ



primæ magnitudinis Sarmatiæ Lumina ampli-  
orem sibi præfigere peripheriam <sup>koto, e. h. e. g. l. o. e.</sup> PLATERI-  
ANÆ Fortunæ orbitâ: quam collecto dum lu-  
mine cingunt, tota <sup>Sten e. p. o. d. w. o. y. n. e.</sup> parelia Polis subtraxisse  
videntur. Ampliârunt tantæ Domûs magnificen-  
tiam etiam Coronati Regnorum soles, adstruxe-  
runt molem Augusta Orbis Capita; Saxonîcū cli-  
ma meliore lapillo signavit fundamenta Regno-  
rû. Tantam excitârunt Gloriam per *Connubiales*  
*Hymeni tædas Coronato succensæ splêdore Regiarum*  
*Angliæ, Polonia Majestatum Serenitates; ut pænè pro-*  
*priam lucem solis Regia erubescat.* In hac Domo  
an Jovis Capitolio; quocunquè lumina flectes,  
perpensa Sangvinis unione cum WISNIO-  
WIECCIORUM, RADIVILLIORUM  
Ducum, BUTLERORUM S. R. I. Comitum  
Nominibus, cæterorumq; Sarmatiæ Optimatum  
Ceris Sceptra & Coronas prima in fronte vide-  
bis ad æviternum magni Nominis Coronamen-  
tum. Nec aliud extensâ contrectabis dexterâ,  
quàm Ducales fasces, Quiritum dibaphas, Dy-  
nastarum secures, <sup>scortat</sup> PLATERIANI Sangvinis Ery-  
thræ pro obryzo & gemmis, solæ nonnisi  
Regum tæniæ Principumq; Mitræ innatare no-  
verunt. Ipsa demum Gentilitia TIGNA tam  
lata Gloriæ explicant folia, ut vix non cum  
aureo Æneæ ramo in sylvas Regnorum, &  
virgas excresecant Regnatorum. Nec ullam cen-  
sorio Catoniani Orbis iudicio assentationis in-  
currimus crisim, ubi pro Virga Coryli, Sin-  
ceri-



ceritatis indice aureas Regij sanguinis indigitamus gazas. Ille nonnisi Regum Splendores **PLATERIANÆ** Domui affulgere ignorat, cui necdum ad Cleantheas lucernas mens diescere cepit; aut in Vestphaliæ Ducibus, Aboriginum non illuxit notitia. Quantis verò beârunt gratijs Coronati Lechiæ Soles **PLATERIANAM** Domum, quam numeri metas vincientia gesta coronant, sæculorum negotia ordiri videremur, non temporum momento, e-logiorum formare compendia.

Et jam post Coronata Regnorum Capita in Comitijs Honorum frontem occupat **PLATERIANA** de stirpe procerum Corona, ad quam Gemmæ vilescunt Oratorum. Tullianis in Ærythris exquisita quæsti inventione pretium hic amittunt uniones: & quibus distinguere diademata est in argumento, valorem non resumunt. Enimverò si flumen Eloquentiæ in Piscariam commutamus, in qua gemmeas concipiamus periodos, necdum Honoris attingunt punctum, quod coronent. Induat ergo Oratorum apparatus Exornativum Genus, & illi addat decorem Profapiæ, quam nulla Tra-bea investivit: **PLATERIANÆ** Domui pridem Consanguinea Murice Tyrus illam appinxit cynnabarim, quam non poterit abolere vetustas. Ut verò ingeniosior Apelle Tullius **PLATERIANA** Decora vivis adumbret coloribus

ribus, obimus magnis passibus sepulchralia Majorum Tuorum **ILLUSTRIS-SIME PALATINE** pegmata, quorum cineres melior Arthemisia exhausit Fama, postquam primo viventi, Cordi civium propinavit, ut in illo perennarent. Obimus inquam non utiquè sine anima rerum, Ordine Senatorum. Stat tacitus cinis, ad illum usquè pro Patria resolutus **ILLUSTRIS-SIMUS JOANNES ANDREAS PLATER PALATINUS LIVONIAE** Magnus Genitor Tuus, an veriùs latet in suis cineribus Phœnix Senatorum, olim Historiarum pennis provolaturus. Hujus primò Palladia volucris vividos sub marmore busti Honores fixo percurrit lumine, qui primus etiam Orbis meruit aspectus, & Lechicæ respectus Aquilæ, ut concolore suo candori pennâ primum Albo Patrum inscriberet Albanorum. Sed ne gratis crederetur tantos Patriæ occupare favores, Trophæa præmisit. Nec purpuram induit, priùsquam victorioso calcaneo Fortunatior Perseus Rosas sparsit ad hostium ruborem. Proinde non semel militavit Lechæis Aquilis Magnarum Alarum Aquila **JOANNES**, & quoties exercitûs expandit alas, toties jam non dubijs volantem Victoriâ pennis assecutus. Ad riparenfes Dunæ profluxus ausa quondam Spartanicum **JOANNIS** tentare robur Ponto terrisque evagata Moschovia; sed amphibiam sentiens fortitudinem

nem retrogrado passu adacta in propriam re-  
 meare Carthaginem. Et quæ præfago fastu  
 in Dūneburgensi Castro, vel cusis è chalybe  
 ligonibus totam spondebat tumulare Livoni-  
 am, ipsa prius ad bellicos æstus decocto in  
 cineres vultu sociata arenæ. Nec citò tanta  
 sedâisset incendia, nisi propriam vitam cum  
 sanguine fudisset, & pallido vultu indigam lu-  
 cis oculisque captam effinxisset Lachesim. Ad  
 Rostaviæ verò pergama nec propiùs incurrere  
 ausus Rosfiacus Ales Victoris gladij fulgores,  
 quin sanguineis effusis lachrymis cæcutiret.  
 Imò tanti Triumphatoris quoties *dextra per fer-  
 rum, Virtus spectata per ignes Patriæ suppetias*  
 tulit, toties Orientalis Aquila lugubri ornata atro-  
 re suæ parentavit Fortunæ. Exeruit quon-  
 dam rabiem etiam Balticus Leo, æreo Martis  
 irrugijt sono, quem ferreo conclusit sinu; &  
 ubi Bellonæ face pectus incaluit, totus exarsit,  
 ut incendia timerentur. Fudit tunc lacry-  
 mas Vistula, sed Martios non extinxit ignes;  
 Plorabant quoque cæteri amnes effusissimè  
 Hostium à Balthico Mari inundationem. Abs-  
 que Pòetarum fide credi jam poterat non  
 Tellure, sed Oceano prognatos Gigantes in Jo-  
 vem Sarmatiæ effundere vires, liquidosquè in  
 Lechiæ Polum æquoris montes Balthicum ia-  
 cere Briantum. Toties se Cælo attollebat  
 Enceladus, quoties stetit erectus Leo, imò in

labaris volavit Sarmatiæ Cælum invafurus, dignus certè Julio fidere, nifi contra Lechicum Zodiacum moviffet figna. At non defuit fuo tonanti Aquila, quæ fulmen belli miniftravit. Aquilinam loquor Indolem **J O A N N E M P L A T E R**, quem non imbellem feroces progenerârunt Aquilæ Columbam. Dicit Orbis, etiam Sarmatiæ fuos non deeffe Joves, à quo hujusmodi Titanes Carpatho opprimantur. Agnovit Polonia in Tuo *Ænea* **ILLUSTRISSIME PALATINE** Lechicæ Trojæ Defenforem, & Saturnia pace viduata fensère Sæcula etiam illam ætatem peperiffè Herculem, qui Leonis exuvijs indueretur. Fudit Balthidè Heroâ casside & plusquàm decumanos fluctus, qui Bovfcenfes ufquè ascenderant campos, umbone repressit, postquàm Caroli Gustavi Centuriatas copias ad Lethen relegavit. Magnum id olim erat Magno Pompeio, quòd needum Senator, in Sago hostilis muricem fangvinis circumtuliffet: plus effeciffè arbitror Palæmonium Herculem, qui needum Senatorum annotatus caractere jam Sudermanicum domare, valuit Leonem, cùm Aderkaffij & Ifzkielij Finncorum Campi-Ducum subactas Clavas ante Patria proiecit Sceptra. Protunc enim Colonelium S.R.M. egit, an veriùs Martis Colonum, utpote qui victore ferro Triumphales plantavit Laureas pressa Hostium in cervice, unde  
am-

amplioris Gloriæ colligeretur messis. Et verò  
 spes in victrici non fefellisset herba, quæ fru-  
 ctum Honoris afferre debuit, nisi tantum Florem  
 cruda decerpissent Fata. Audiit Augustissi-  
 mus **LEOPOLDUS** phænicem Heroum in ni-  
 do Lechæ Aquilæ reperiri, & Arborem sede-  
 cim ramis de vetustate **PLATERIANÆ** Fa-  
 milix frondescere iussit, in qua rara Heroum  
 Avis, Imperialis Aquilæ **COMES** consideret.  
 Ast, ô! licentiâ ferri! Libitina Viris invida forti-  
 bus cruda succidit falce annosam Quercum, cui  
 contermina Laurus stabiles annorum consignabat  
 myriades; & Dodonæa iliceta non dolebant  
 in memores excindi tabulas. Antequam ta-  
 men suo Honorio Sarmatia, suo Comiti Ro-  
 manum parentavit Imperium; antequam For-  
 tuna & Victoria amica bellatoribus Numina  
 post luctuosas inferias colossea extruxere si-  
 gna, Capitolinos inflexere Arcus, prius Vir-  
 tus peribœtis sociata triumphis Polo intulit,  
 ut excelsiorem fati prociduis adoraret Orbis.  
 Et quem superi ceu Cælicum Martem candidis  
 sociârunt tædis, hunc in terris vel ab ipsis mor-  
 tualibus clarissimum Umbris memori voveret  
 Gloria penso. Inter Sarmatiæ Quirites  
 post Albanum Patrem locum occupat in Sena-  
 tu **FABIANUS PLATER** Patruus *Illustrissimi*  
**PALATINI**. Novit hic Poloniæ Stator in-  
 geniosa gradatione sibi formare ascensiones, ut  
 in Culmine consisteret Senatorum. Prius Præ-  
 fectum

fectum Stabuli **LIVONIA** salutavit, deinde **Vexilliferum** signa inter **Palæmonicos Heroes** annotârunt. **Bonis** tunc avibus in **Vexillo** volitare videbatur **Stemmatographus Livoniæ Gryphus**, postquam **Marte** calentes involavit manus, nec sui certior **Officij**, quàm cum **Hic** existeret **Custos Aureæ libertatis**. Ad **Conclave Succamerariatûs** Illi patuit aditus per substratos **Hostium** tumulos, cumulas casibus ruinas, ut ita **Ducalis Princeps Nobilitatis** nobiliori passu **Senatoria** scanderet fastigia, & vel ab hostili lapsu perniciorem assumeret impetum **Gloriæ**. Nec **Augusta spes** meritorum sefellit: successit **Athlanti Alcides**, qui validis **Polonum** succollaret **Orbem** lacertis, & auspiciatius **Prometheo**, taumaturga virtute inter venenatos **Tanaitici draconis** halitus vix spirantem reanimaret **Patriam**. **Fraternos** suscepit fasces, an verius alternavit vices cum **Castore Pollux**, ut quos æquavit grande meritorum momentum, etiam **Honorum** paritas coronaret. **Ledæa** hæc sidera suo in **Polo Polonus** admirabatur **Senatus**, & pænè se totum mærori indulgit, quòd qui **Hororum** participârunt splendorem, non divisissent immortalitatem. Utinam ambo vixissent **PALATINI!** Et duo sidera **Fratres** in suo occasu ortum **gloriæ** respicientes serò **astra** petijissent. Utinam! vel **Hic solus FABIANUS** Romanos **Fabios**, **Priamosq;** **Trojanos** sub petore

ctore gestans, non Lethæis fontibus commisit  
set Jason, aureum certè vellus pridem Patria  
obtineret. Magnus Hic Poloni Navita nomi-  
nis, non parva carbasa gloriæ per decumana By-  
stonici tibi profluvia appelli còëgit, dum nau-  
clerâ fortitudine ad edomitum Tyram in Cho-  
cimensi expeditione, vexilla pro velis, proquè  
proris Herculeas assumere parmas non recusavit.  
Patria quoquè Ceres toties aureis ditata  
cornucopijs, quoties Hic Thraciæ Do-  
mitor triumphali calcaneo Tauricanæ Phæbes  
cornua pressit. Sed ô! liberalem nimis in fata  
Virorum! ô! parcam fatis Lachesium in Lechiæ  
auspicia! Illum abstulit Quirinum! Cui similem  
vix millena revocabunt lustra, meliorem non  
datura.

Recensuimus *PALATINE ILLUSTRIS-  
SIME* Procerum Maxime, Maxime; Patrem &  
Patrum Tuum Senatorio positos ex Ordine  
Fratres, Quorum Nomina Carpatho Sarmatia  
inscripsit ad perennitatem, Astris intulit virtus.  
Nunc *ILLUSTRISSIMIS* ab Umbris, Magnis-  
què Majorum Manibus ad Te redimus. Non  
increpamus Hesperum, quòd illa Luminaria no-  
ctæ sepeliverit, dum in Te meridiem gloriæ cer-  
nimus reaccendi. Eripuit terris Cælum duos  
Senatores, in Te uno ratum posse Honorum  
Comitia celebrari, qui unus pro mille nume-  
rum adimplet Senatorum, dum magnarum vir-  
tutum

tutum in facie Orbis præfers Senatam.  
*Tu revocas Majorum annos, & sæcula terna,  
Quæ Proavis fluxère Tuis probitate reponis:  
Et tantum non Ipse facis Virtutibus ævum.  
Tu magnum reddis Senecam, raptosq; Catones  
Ingeris & prisca notos pietate Metellos:  
Hinc minùs extinctos Proavos, Patresq; dolemus.*

Ergo Elogiorum compendia à Rectefactis inchoamus, hujus tenaces judicij: Nunquam meliùs laudari posse Magnates, quàm dum virtutes Panegyrim componunt. Sed quia Senatorum subinde murex verecundari cogitur, cum ea, quæ consciam factorum non arguunt mentem, encomiasticè appinguntur; Tu hujusmodi acclamationibus silentium indixisti, ut regulam præscriberes elogijs in ordine ad cultum Senatorum. Stricte hoc observare cogitur soluta Eloquentia, dum ori imponis Religionem. Proinde loquemur juxta Tuæ regulam modestiæ; verùm ita, ut cum Tacitos profiteri compellimur, non omnino elingues compareamus. Fatemur denique, quòd, supra se ipsum stylus elevetur, ubi Tu non humilis factis titulisquè in argumentum venis. Nec svada intra hosce paginæ terminos stringi patitur, quàm Tu in Capite satis dilatasti. Difertiùs loqui nititur, quæ tanto in ore quotidiano discursu eloquentior evasit. Sed ubi Magnorum jussa non attingere, est excedere! tacentibus



bus nobis saltem sæcula narrent, temporum pe-  
 rorent momenta, quid de tanto Senatore Ora-  
 torij sentiant sensus. Agnoscunt par Orbi In-  
 genium, & dignum quod pro Tullio Orbis Ca-  
 pite contineretur. Imò totum eruditæ Reipu-  
 blicæ Corpus, animam Te suam sentit; ejus  
 respirio vivere scientias, nullus in dubium vo-  
 cavit. Redivivus Tullius Sarmatiæ ore decan-  
 taris; & suum Nestorem moderno ævo cogitur  
 Græcia invidere. Nec mirum nunc tanta de  
 Nestore spargi, qui junior annis Regias inco-  
 lens, Regio ore SERENISSIMI JOANNIS III.  
 futurus in Curia Curius, in Comitijs Mercu-  
 rius posteris promulgabatur sæculis. Et habet  
 jam Lechia rerum plenissimum Virum, quo Va-  
 cantes impleantur; habet illum Senatorem, qui  
 primus nasceretur Trabeis, si de Rhetore Consul  
 crearetur. Quodsi Comitia eruditi instituissent  
 Honores, Tuæ Coronationis diem Laurea lin-  
 gvæ indixisset.

Ast supplevit eruditas Academi adoras  
 non semel triumphatus eloquio Arpinas; qui to-  
 ties Lauream lingvæ cedere adactus, quoties  
 stupuit

- - - - - fundi vel ab uno  
 Pectore, Romanæ quidquid facundia lingvæ  
 Grande loqui, & Grâjum potuit sapuisse vetustas;

aut quoties advertit Tuis librari sensibus  
 Orbem, inque oracula formari, quæ de oris pro-  
 dibant Cortina. Redivivos, & plusquam eru-

*deratos de obliuioſis temporum monumentis* Roſcios,  
Gallicanos, Theopompos nuſquam indubiè fæ-  
cunda ingeniorum ſpectârunt ſæcula, aut ferax  
Capitum protulit ætas, niſi intra PALATINÆ  
oſtia linguæ. Quocirca vel Parnaffum, extra  
eruditi Capitis verticem, vel Cyrrhæas Laurus,  
extra Avita TIGNA; vel Athenas extra Patri-  
tios lares inueſtigare, idem conaminis quæſtus,  
qui: extra Olympum Hyperiona acie inſequi,  
extra Piſcariam gemmas captare, extra felices  
Arabix lucos aucupare Phænices. Jamquè ultra  
profundiſſimi ingenij altiùs rimari fundum non  
præſumimus illud ingeminâdo Vatis: *omnia Pon-  
tus erant, deerant quoq; littora Ponto: ne in ſiccò nau-  
fraga ſvada majora ſilentio mergat. Proinde  
id unicum abyſſi ſcientiarum altum eſto: quòd  
Oceanum eruditionis concluſiſti: vel ſi mavis?  
Nilum: cujus arcanum natura Caput non prodidit ul-  
li.* Hæc Elogiorum epitome: Te æthera men-  
te, Periclem ore, calamo ſuperâſſe Minervam;  
Diviniorum literarum myſteria, monumenta an-  
tiquitatum, Hiſtoriographorum contenta, Re-  
gum ſancita & Legum Volumina uno poſſediſſe  
capite; Ipſum quoquè par Cæli ſaſtis Volumen  
evafiſſe. Tanta ab opulentiâ Palatini Capitis  
reduces, patulas Manuum incurrimus aurifodi-  
nas. Inter non poſtrema laudis Tuxæ argumen-  
ta concluſum habemus, Te ab Artibus Libera-  
libus munificentiam didiciſſe. Vicisti in arena  
Palla-

Palladis Maronem; sed & Mecænatem, quoties campus apertus beneficijs, superasti. Divites se nimum plurimi arbitrantur, qui de solius Thesauris scientiæ verba ut nummos proferunt: Tu pretium aureo ori addidisti, postquam non in Tullianis tantum fontibus quæsitæ opes effudisti. Stant nostræ Residentiæ fundamenta non tam Urbicis complexa manibus, quam Gratiarum solidata manibus, quæ Tu asurgere iussisti. Imò! cui argenteum dedisti sonum, lapis de pariete (extra Bedana licet tempora) clamat; Templi futuri vix non Fundatorem. Non deceret utique vel elingue marmor non in disertiore reanimari Memnonem, quoties in Te benefici Solis experimur ortus. Magnò constitui animo Superum augere Domos: Tibi Empyrei Proceres Palatia struunt, Numini utpote Senatorum. Quare nec illud indubium vocabit certitudo, quod Tibi Altaria, Aram ponent gratitudinis. Jam Cathedrale Duneburgense Templum, Tuum Nomen in titulum Ecclesiæ videtur assumpsisse, cui Te Patronum & Fundatorem præbuit. Unicum incumbit! ut ad Aram Majorem Honorum exponaris, cultum à devotis Tuo Nomini Civibus expecturus; ne melior ævi nostri Probinus, suis carere radijs videaris. Pridem Te exposuit publico Orbis cultui, Cordiumque amoribus à Lucinæ fascijs collactanea in Superos Pietas,

*Leuonnik*  
synchrona morum Probitas: quæ cum anno-  
rum incremento, tanta sanctitatis appinxit li-  
neamenta, ut tersiori Zeuxis penicillo in proto-  
typon Virtutum cedere merearis.

Talem Te protinus anni  
Formavêre rudes, & dignum vita Curuli  
Traxit iter; Primæq; Senes cessere Juventæ. Claud.  
Extra superstiosa antiquitatis sæcula vi-  
vis adumbratam coloribus liceret in Te plenis  
litando acerris venerari Imaginem recti, quàm  
in exemplar ducant Herodes, suspiciant Senato-  
res; ad Festum Ecce contemplantur Nati, seriq;  
Nepotes, si parem Nominis famam, æquales Pa-  
triæ amores promereri exoptant. Plurimos  
hoc unicum negotium vexat! sub pumila fortu-  
na, Majorum grandescere Ceris, Euboico San-  
gvine duci, aut Gigantæo passu fumosas inter  
Atrij Imagines, Illustres Gloriæ præferre faces;  
aut fugitivi Honoris fasces captare: Tibi hic  
unicus labor! Virtute potius, quàm Sangvine  
niti. Humiles ex se, inopesquè lucis multos  
tacitus indigitat fastus, quoties pulveribus sa-  
eros eruderant vultus, stemmata jactant prisca  
ditata signis, aut Nomina Cedrinis inscul-  
pta venis: Tu quò omni fastu inferior, eò subli-  
mior Tuis lassas marmora meritis, & Cedros  
Nomine imples. Hinc amicum tenes otium  
istud: evecos Dignitatum gradus propria fa-  
bricare virtute; ne à Prædecessorum Mausolæo  
emendicatis suffragijs altum Gloriæ; aut ad-  
sciti-

sciticijs radians flammis, Patrium conscendas  
Polum. Quare si in Senatu Catonem, Nestorem  
in Comitijs, in Legationibus Cyneam, in A  
reopago Aristidem, in hostico Agamemnonem  
præferebas, ubiquè moribus Probinus Publico  
decantabaris effato. Non dubitavit malefana  
antiquitas Numam adlegere Deastris, vix um-  
bras probitatis spargentem: Tu in astra refer-  
ri contendis, postquam pectoris Sacratio, ac-  
commodas aris, dignas apothecosi Virtutum Idæ-  
as geminasti. Superbire licuit Capitolio vel  
ab uno Jovis Colosso; Pantheo paucos jactare  
Semideos: Tuum augustum Cordis domicilium  
collecta Virtutum inhabitant Numina. Cente-  
næ Charites cum Themide, Gravitas Catonis  
cum Clementia Trajani, circumspectio Consi-  
cum Solonis prudentia animum incolunt. Hinc  
lenitas morum regit sensus; Candor inde Men-  
tis regnat, niveoque sereno cingit tempora Ca-  
nities veneranda. Hinc vis studiosa recti ve-  
hitur frontis sereno, Libertas Comitasq; mixto  
locatur ordine; indè illa Divinitas occupat  
mentem, quæ animos æquè ac orbis obtutus  
in sui aspectum pertraxit. Publicant sese vi-  
bratis in vultum radijs virtutum fulgores; nec  
valent faciem effugere Orbis, dum Cœli con-  
scio cum Numine, tot lingvis, quot fideribus  
pulchrius propalant, quàm hic tacitus Orator,  
Pagina, declamat. Ast Solis radios in cala-  
mos aptet? qui singula PALATINÆ Virtutis

decora vel in Cælesti graphio conscribi autu-  
mat. Nobis pauca tenerioris Svadæ tetigisse sty-  
lo sufficiat: Nam citra Phæbei Auguris omina  
fatis exploratum habemus, quòd majora Majo-  
res canent, & quidquid moderna tempora Har-  
pocratico premunt silentio, posteritas

*grato mentis candore notabit,*  
*Inscribetq; metris condignum vivere Nomen.*

Plura Cedris magis, Parijsq; saxis, quàm  
paginis candido svada inararet calamo, ni se-  
piam siccaient intensi benemeritorum fulgores,  
tamquè serenum PALATINÆ Virtutis jubar.  
Imò spontè sepiam excutimus pennæ, ne um-  
bras potius appingamus; necnon ad Cognata  
per socialis sangvinis nexum sidera avidos avo-  
camus obtutus. Spectavimus quidem sat lucis  
ab uno PALATINO Nomine, Honore, & me-  
rito; suo accessisse Senatui: adunata sed lumi-  
na Magnatum latius gloriæ geminabunt Ma-  
jestatem. Proprio quidem paratu fatis Cynthia  
refulget, multò sed clariùs nocti diescit, quo-  
ties astrorum cingitur choro, vel consangvi-  
nei Hyperionis ardet nitore. Amænè licet Chry-  
solithus nativo interlitus auro promicat; & A-  
damas agnato scintillat radio; pulchriùs atta-  
men jubar intendunt, si in collecta Fratrum  
Corona locentur, lucemquè juncto sumant ab  
auro. Ita ad gloriæ auctoramentum novam  
exporrigunt faciem PLATERIANI Nominis  
Triumviratui è Sarmatico Zodiaco affulgentia  
sede-

sidera, quæ *ILLUSTRISSIMI* Hymenæi succenderunt Tædæ. Vix etenim gemmeum *BRZOSTOWSCIORUM* Magnus Lechiæ Quirinus conscendit Stapedem, protinus cum Avitis splendoribus *POTOCCIORUM*, *LESZCZYNIORUM*, *OGINSCIORUM*, *TYZENHAUSIORUM*, *HLEBOVICIORUM*, *NARUSZEVICIORUM*, *DONHOFFIORUM*, *SZEMBEKORUM*, *WOŁŁOVICIORUM*, *SIESICCIORUM*, *KOTOVICIORUM*, *KRYSZPINORUM*, *CZARTORYSCIORUM*, *SANGUSZKORUM*, *SAPIEHARUM*, *PACIORUM*, *MNISZKORUM*, *PONIATOWSCIORUM*, *SADOWSCIORUM*, *HOSIORUM*, *WYHOWSCIORUM*. Contractus in unam Domum quidam Honorum Senatus: et nexus hic non unus, propè foederatum effecit Orbem, an Magnorum Patriam Luminum. Cedant ergo Pares Galliæ, Grandes Hispaniæ! hic æquales tantis Nominibus fieri, idem est ac in Numen evasisse; & Orbis mensuram excedere, Tantorum Procerum commensurari Majestati. Jamq; frustra toto subsolani ambitus inquirere circo *Illustrissimas Domos*: *PALATINA* Atria totum clausere Senatum. Et ubi expolitæ lucis fulgore adstruunt augem gloriæ, collectæ in unum Profapiæ, luculentius videat Orbis tanto Senatorum ab Ordine auctum satis *PLATERIANI* Nominis Senatum.

Verùm subsistite Senatorum Curules! albis Honor provehitur quadrigis, ubi Equestris Or-

do suo Majorum frequens Comitatu, ad Comitata Honorum candidum ducit passum. Non erubescunt Regum, Procerumq; Trabæ Nobilium Sangvine conspergi, à quo in Murice gloriari didicerunt; imò quæ hauriunt purpuram lanæ, fontem coronant, unde colorem imbibebunt. Rubro fortasse mari natant magnatum humeri! Ast Nobilium Sangvis latex est, à quo Purpureum æquor Rubiconem derivavit. Si Electionis spectamus Comitata! in confluxu Nobilitatis unà tinguntur purpuræ, & emergunt earundem Candidati. Quid Monarcharū in lacertis vernantes Rosæ? quibus acumina ferri, spinas, in custodiã Clemētia negavit, armari debent! & ne ad hostilis chalybis expallescant supplantationem, Equestris Ordinis hastilibus communiri. Tales hodie Sarmatiæ Heròes ad Honorum veniunt Comitata, qui suis victorijs videntur Lachesium expugnasse, sæculorum vindicasse immortalitatem. Nec instat Gloriæ, aut Svadæ labor, sepulchrale attollere saxum: Tristibus nunquam tenetur marginibus vigor virtutis inclytæ, & profanis nunquam sacrantur pulveribus Heroum trophæa. Vivunt utiquè in perenni Civium pectore Tui Aborigines PALATINE *Illustrissime* posthumæ sæculorum dicati memoriæ; documentum esto: Illos hodie ad Honorum Comitata convenire. Et jam assurgit seges Clypeata Virorum! ad quam Asiatici Dragonis iterum dentes obstupescere cogentur.

Pro-



Prodeunt Phalanges: sed mortualibus ab umbris  
magis time olim multum metuens hydra! ex-  
palleſce Thracia Hecate! occaſum horreſce non  
ſemel fatorum obnubilate tenebris Oriens, ite-  
rum vigilias agunt **PLATERIANI** Macedones.  
Longiore ſepultos ſomno excitat hodie Pala-  
tinæ buccina Famæ, ô! quàm excitati Herôes!  
poſtquam claſſicum inſonuit, etiam ſarcophagi  
marmor projecerunt, fatum excuſſerunt. Et  
quidem primus omnium ſubito obtutus Charitum  
in Nomine portitor Gratianus, **JOANNES** de  
**Brôel PLATER** Principum & Ducum Veſt-  
phaliæ digna Propago, **PLATERIANÆ** ſtirpis  
Protoparens, quinque ſæculorum gravem Majo-  
rum ſeriem in Livoniæ Ducatum proferens. Hic  
quam primum inferioris Saxoniæ ſolum & So-  
lem reliquit, in Livonia fertiliſſimarum laurearum  
plantavit Coloniam, poſtquam faſces mucroni,  
Mitratam vittam Caſſidi, ſago Trabeam ſocia-  
vit. Nec aliis **PLATERIANI** Nominis Heroi-  
bus Livoniam incolere licuit ſine palmis lau-  
riſque. Paſſim frondent pleriſque in medijs ſceptra  
ligonibus: Veterano heroi alteri **JOANNI PLA-  
TER** depilata Hoſtium ſtadia, inter victrices  
laureas porrexerunt clavas, dum florente Theu-  
tonum militiâ, Dux Ordinis Theutonici creatus.  
Supremi hoc Campi Mareſchalli promeruit  
Officium poſtquam ferream exporrexerat virgam,  
quam infracti licet & maturi metuerent inſul-  
tus. Prodit & tertius **JOANNES PLATER** Elo-

quentiæ Numen, cui non semel talaria, Orator  
riæ adaptarunt pennæ. Imò aliger Patriæ amor  
administravit pennas, in quibus ad Romanas  
Aquilas properavit, ut earundem clangore Sar-  
maticus toties Mercurius proclamaretur, quoti-  
es caduceum præferret. Sensit protunc Capi-  
tolinus Anser se inter olores cecinisse, postquam  
hujus Cynæ inaudiit vocem. Laudavit LEO X.  
in Joanne aquilinum ingenium, & non tenuem  
censuit ungvem Romanæ Curia negotiis ad  
Tullii memoriam refricandis. Equestris Ordini  
munus, in Legationes excurrere: Ille Aquila  
prævolavit, postquam Aquilinam arripuit  
pennam ad impetum Oratorum. Ad Eque-  
stris Ordinis Nobilitatem sat nobile accedit In-  
genium HENRICI PLATER, cujus fortunati-  
or labor, casto molimine (a) Trajani Euphratem  
Tygri consociare attentantis, & sensus erat, Po-  
loniæ incorporare Livoniam. Totus spirabat  
Patriam etiam VILHELMUS PLATER Livo-  
nicarum Copiarum Ductor, dum Sarmatici Cæli  
Aquilone de Dûneburgensi Castro hostem ex-  
sufflavit. Ad florem redire septicollis Urbs pu-  
tabatur, ubi Poloniæ Hortensius THEOPHI-  
LUS PLATER Capitaneus Metelensis, Tribu-  
nus Livoniæ, bis Romam Legatus acie mentis,  
& acumine Oratorio decertavit. Vienna, Urbi-  
um Imperij Caput, Præsidis Excubiæ GOTHARDI PLATER Avi Illustrissimi PALATI-

NI, 213

(a) Teste Dyon: Cassio.

ni, solidata manu, pluribus se cingi Laurearum  
fertis advertit, quàm Annibal ad Cannas Roma-  
næ dexteræ detraxit orbitas. Et quæ in Serenif-  
simo Lechiæ JOANNE, suum adoravit Salva-  
torem, in GOTHARDO agnovit vigilem Anti-  
patrem & Defensorem. Argum tunc egit Ex-  
cubiarum Præfectus, ne Christianitatis Fortuna  
cæcutiret, sed qui fabulâ mutatâ in historiam,  
contra barbaram Dianam non somno, ast fato-  
rum nocte sepultam vigilaret. Verùm quæ fa-  
torum audacia! Mars Mercurium simulavit,  
dum ferreæ fistulæ cantu ad Viennam GO-  
THARDUM sopivit, ut terræ ereptum Æmu-  
lum effugeret. Jamnè delesti PLATERIANI  
Nominis legiones rudis Barbarorum Parca?  
metue tibi noctium timori assveta venatrix He-  
roum Thraciæ Diana! superest adhuc, vivitq;  
Polonæ felicitati par Marcellis, æqualis Camil-  
lis Magnus FERDINANDUS PLATER Fra-  
ter Illustrissimi PALATINI, non amplius nostris  
compare terris! quia si Cœlum conscendes, Po-  
loq; cornua figes Thracum Diana? *Illustrissimi*  
*VENATORIS* M. D. L. non elongabis pha-  
retram, vel si toto te tumules Orbe Proserpina,  
in inferis tuum nancisceris Plutonem. Novit  
Illustrissimus VENATOR hostili prædæ sub Bel-  
lonæ casside fatales adstruere casses, cuniculosq;  
mortis. Novit etiam de Avitis TIGNIS, uti Pa-  
triæ amicas pacis oleas colligere, ita æmulo cli-  
mati cruentam Dryopes lotum, aut arborem

Alcidæ formare: quæ Taxos & Cupressos amicas funeri plantas portendant. Sed ubi Magni Ferdinandi mentio venit, longiora formare encomia incumberet svadæ, nisi priùs publica Fama super Sarmaticum eluctata Carpathum meliori lituo Heroum Nomen promulgâset Orbi. Proinde nostræ consulendo tenuitati, disertius humili colimus silentio, quàm si vocaliores affumeremus Arpinates. Sæpiam pennis affunderemus, nisi gemmeos vendicaret characteres, Hermumq; in paginã effundi aurea Illustrissimi **FERDINANDI** Virtus. Nunc aurum addimus auro, ubi Germano sanguine junctum **FABIANUM PLATER S. R. M. Colonel** pretio Orbis exponimus. Nimis prodigaliter Roma suorum Civium sanguinem fudit, dum tercentum Fabios abstulit una dies: Sarmatia vellet, ut longævus meritis tercentum lustra vivat **FABIANUS** ad Patriæ incolumitatem. Et in quo Majorum vivunt merita, crescant etiam coronamenta honorum; ipsaq; augusta corporis moles Palmiferos imitata ortus, magna & fausta præfagiat. Non deest Equestri Ordini etiam **ALEXANDER**, qui Gordios solvat nodos, & acuto ingenio, & expedita ad mucronem manu. Eandem oris & dextræ gratiam meruit **JOANNES PLATER** Tribunus Livoniæ, cujus nec manus absq; Marte, nec lingua sine Consilio. Et jam Filiorum magno Magni Genitoris passu subsequitur Quaternio. Siste gressum

sum **CONSTANTINE** Magne, dum properas  
ad Honores in Capitaneatum succedens Livo-  
niæ: hîc tantisper quiescere labor, brevi ad al-  
tiora Culmina perventuro. Quasi primos for-  
maret gressus Duce Honore, modò leniùs incede-  
re, modò subsistere edocetur **Constantinus**, ut  
ita lentè veniens potestas magnos passus expedi-  
tiores reddat ad majora. Ut verò sub Ingressûs  
auspicia fortunato Honorij calcaneo mollius  
sternatur iter, *Universa Societas* cum obligatissi-  
ma Suo Nomini *Residentia* spargit Corda, *Amo-  
ris Rosas*, quibus inscripsit

# ELOGIUM.

Ades tempestivus Honorum Comitiiis  
Primis accrescens Honoribus **CONSTANTINE**.

Te **CONSTANTINUM** constans recti probiq; cultus,

Magnum, Magna probant.

Quem Juvenem producit ætas,

Virtus grandævum indigitat.

O Prodigiosum Spectaculum!

*Venerandus in Juvene Nestor.*

Quod negavit ætas, ingenio supples.

Pridem Papyrii prætextam exuisse videris,

Qui jam Purpuræ maturuisti.

K

Ne-

Nemini exhinc diceris adolefcere,  
**Inquo nihil non adultum apparet.**  
Æquas confilio Confos, gravitate Catones,  
Pietate Pompilios, judicio Aristidas.  
**Mente non mento, animo non capillo**  
**Adeò incanuiſti.**

**Tu Proavos Patremq; refers,**  
Quem in Te Auspicatiffimum ſub ingreſſum  
Viva Patris Imago circumfers.  
Hinc fauſto omine, nec vano nomine  
CONSTANTINUS MAGNUS nobis appellabere.  
Primus ille Orthodoxus audiit Imperator,  
Tu cordium & animorum Moderator adoraberis.  
Ille in ſeplicolli Urbe triumphavit,  
**Tu in inverſa dominabere Roma,**  
**Quam Tibi Civiũ jam molitur Amor.**  
Quem præmatura eripuere fata,  
Reſtituis nobis in Te FERDINANDUM,  
Cuiſvis oneri & Honori ferendo ſuppar.  
E mortuali cinere vividas reſuſcitas ſcintillas  
**Sepultas in IGNATIO.**

Multicolorem in Te virtutum depingis Iridem,  
Quam fatalis nubes noſtris ſurripuit oculis in CASIMIRO.  
**In Te candoris revireſcunt Lilia,**  
**Quæ in illo pallor mortis decoloravit.**  
Vivunt & minorenes poſt funera Fratres,  
In ſuperſtite Magno CONSTANTINO.  
Sed jam fruſtra ploramus extinctos,  
Qui

Qui in Te uno tanti capimus solatia damni,  
Oppones præpropero eorum fato, ætatis Tuæ longitudinem,  
Qui etiam in juventute multa tempora explevisti.

Sed quid de Te Honorum deliberant Comitia?  
Quæ suis sensibus Tuam librant ingenuitatem.

**Quisq; Te sibi vendicat,**

**De quo certant Purpuræ, & fasces contendunt.**

**Omnium in Te inclinant Vota,**

**Neq; simul reclinari præsumunt,**

**Ne teneriores fatigent lacertos.**

Compones optimè litem, certantium de Te dignitatum,  
Ubi singulis & omnibus simul adoleveris.

**Attolles Purpuram, quæ Te supplex quæret,**

**Præhendes fasces, quos rogatus admittes.**

Ingredièrè Senatum, cui pridem Te natum profiteris.

Summa etiam fastigia premes,

Ad quæ meritorum famulatio attolleris.

Quidquid pretiosioris Fortunæ latet in ærario,

Tuæ Virtutis stipendium fiet.

At quid constet de CONSTANTINO Superis,

Quos pietate demereris?

Habent illi quod candidi pectoris in arcano videant.

Sed ne Te nobis longævum invideant,

Votum est univerforum.

Diu Te Patriæ servent incolumem,

Dulce decus columenq; Gentis.

Ne verò sub auspiciatissimi Ingres-  
sûs pompam incomitatus procedere  
ad metas Honorum, aut Livoniæ fasti-  
gia conscendere videaris, Magne Ho-

nori **CONSTANTINE** Maxime, in-  
ter triumphales ignes (quos grati pe-  
toris flamma, & inversa Cordium  
Roma excitavit) Cognatorum Lumi-  
num profilit Corona. Et ubi Tui  
Nominis Equestrem Ordinem claudis,  
ambidextro affinium Profapiarum cin-  
geris comitio. Ducalis pompæ gemi-  
nas triumphos tot magnis stipatus Lu-  
minibus; videlicet **HYZENORUM,**  
**BORCHORUM,** **PELOKORUM,** **ZY-**  
**BERKORUM,** **GROTHUZIORUM,**  
**RUDOMINARUM,** **PUDKAMERO-**  
**RUM,** **BILLEVICIORUM,** **JUDICI-**  
**ORUM,** **SADLINSIORUM,** **BERO-**  
**RUM,** **SZWERINORUM,** **FLORO-**  
**RUM,** **KOMOROWIORUM,** sex-  
centorumq; Colligatorum: quorum  
computare merita idem est, quod stil-  
las æquoris aut ætheris Stellas nume-  
ro comprehendere. Proinde jam clau-  
dimus agmen, dum præcordia in Vo-  
ta aperimus. Ad hæc Honorum Co-  
mitia, ad vetustissimos Tuos splendo-  
res



res *Illustrissime Palatine* etiam umbræ  
convenerunt Religiosæ, quæ Te suum  
Solem candido passu, quia a symbolo  
mentis candori semper insequeban-  
tur. Apellis certè secuta artem, pin-  
xit hîc umbra Solem, dum Rogum  
delineavimus Majestatem, Senatorum  
expressimus Fasces, & cum Equestri  
Ordine excurrimus in encomia Muni-  
ficentissimi Mecænatis. Nunc restat,  
ut Comitiorum sub tempus corde, si  
non ore dicamus Vota, Palatina pro  
Domo ad votum Magni Senatoris, to-  
tiusq; Sarmatiæ. Ordimur proinde,  
dum finem ponimus, & ubi supremam  
imponimus manum, planè in digitis  
Vota recensemus. Infinita vovere lu-  
stra millenosq; fasces spondere, non  
nostræ est ætatis; & annos per Myri-  
ades multiplicare, non nostræ conces-  
sum additioni. Quapropter ad men-  
suram loquimur annorû: Annos mel-  
lei excede Platōnis, & grandævos Ne-  
storis gressus tardiori transcendente pas-

fu, qui jam Platonem eloquentiâ, Ne-  
storem Consilio supergressus. Vive  
Magne *Palatine*, Procerum Maxime,  
Patriæ, imò Orbis totiùs respirio, do-  
nec animam aget respirium Univerfi.  
Hic & nunc minimæ Societati sub  
Palatino Murice consuetam concede  
protectionem; & Dũneburgensem  
Residentiam Tuis inhabita favoribus  
æterne Cordium Inquiline, donec  
Sol dierum volvet Coronas, Sarmatia  
geminabit fasces, Equestris Ordo Pa-  
triæ, & tuo militabit Nomini. Ad Co-  
ronidem Votorum ultimum, & pri-  
mum apponimus Votum: Nesciant un-  
quam Magnæ Domui Quirinales deesse  
fasces, **ILLUSTRISSIMO PALA-  
TINO** nesciant limitari  
**HONORUM COMITIA.**

